

## PSALMVS CL.

## ARGVMENTVM PSALMI.

**H**abet hic postremus Psalmus generalem adhortationem ad laudandum Dominum, ad omnia viuentia pertinentem.

Halleluiah.



**L**audate Deum in sanctuario eius, laudate eum in firmamento roboris eius. **VERS. 1.**

2. Laudate eum in virtutibus eius, laudate eum secundum amplitudinem magnitudinis eius.

3. Laudate eum in clangore tubæ, laudate eum nabo & cithara.

4. Laudate eum tympano & choro, laudate eum fidibus & organo.

5. Laudate eum in cymbalis sonoris, laudate eum in cymbalis tubilationis.

6. Quicquid spirat, laudet Dominum: Halleluiah.

**Laudate Dominum in sanctuario eius.]** Ebr. est בקדשי: id est, In sancto eius. Sic legit Hieron. & Iustin. **LECTIO.**  
Græc. & vulg. Lat. legunt: In sanctis eius. Arabs habet: In omnibus sanctis eius. Chaldæus: בבית מקדשיה: **Verf. 1.**  
id est, In domo sanctuarij eius. Felix: In sanctitate eius. Sic & Pagninus. Camp. Ob insignem sanctitatem illius.  
Hic literam Ebræam ב pro בעברי legit: vt בקדשי sit idem quod, Propter sanctitatem eius. Reliqua satis concordant.

Sunt huius Psalmi tres partes. Prima, quibus respectibus: secunda, quomodo: tertia, qui Domini laudare debeant, exprimit. Prima pars duobus primis versibus: secunda tertio, quarto & quinto: tertia postremo continetur. **EXPLANATIO.**

**Laudate Deum in sanctuario eius.]** Potest hæc particula trifariam exponi. Primum, vt de tabernaculo: id est, veteris Testamenti sacrario: secundò, vt de interiori & illustri cælorum mansione, quasi regia Dei: tertio, vt de sanctitate Dei intelligatur, propter quam laudari debeat. Mihi videtur spiritus huius Psalmi non ad temporarium illud & terrenum sacrarium, sed ad cælestem gloriæ Dei regiam animos piorum erigere, vt illius consideratione in laudem Dei prorumpant. **Laudate eum, inquit, in firmamento roboris eius:** hoc est: Propter expansum illud, quod cælum vocamus, in quo sunt sol, luna, stellæ, &c. **Adiecit: Roboris eius:** vt admoneat de firmitudine firmamenti, cui sit illa tribuenda. **Verf. 1.**

**Laudate eum in virtutibus eius.]** Hoc est, propter virtutes eius. Intelligit autem hic per גבורות id est, virtutes, fortia & illustria facta Dei, quæ tanquam heroica ad amplitudinem magnitudinis eius illustrandam faciunt. vnde & subdit: **Laudate eum secundum amplitudinem magnitudinis eius:** id est, pro dignitate maiestatis eius. **Verf. 2.**

**Laudate eum in clangore tubæ.]** Tribus istis versibus exprimit quomodo: id est, quo ardore, quo studio, quæ cordis exuberantia Dominum laudare debeant. Meminit instrumentorum musicorum, quorû vsus erat sacerdotibus ac Leuitis in veteri Testamento, ad laudem Dei institutus. Non est vno & altero contentus, sed plura recenset: non quod illorum varietate Deus more humano delectetur, sed vt significet, quanto studio Dominum laudare conueniat. Nec opus est vt singula instrumenta exactè, qualia fuerint, explicemus, cum illorum, vt vsus, ita & cognitio iam olim desierit. **Verf. 3. 4. & 5.**

**Quicquid spirat, laudet Dominum.]** Hactenus non expresserat, quònam ad studium hoc diuinæ laudis hortaretur. Id vno & altero verbo tradit, dicens, כל הנשמה: id est, Omne spirans. quod nihil est aliud, quàm, Quicquid viuit. Referunt ad cælestes spiritus, & ad homines pios: verum est, illi potissimum Deum laudant. Verùm simplicius est, vt intelligamus omne quod vspiã viuit, ad laudandum Dominum Deum, à quò vitam acceperunt omnia, prophetica hac adhortatione excitari. **Verf. ult.**

**Laudate Dominum in sanctuario eius.]** Obseruandum est principio, quomodo Propheta animû suum ad sublimem illam & inaccessam diuinæ maiestatis regiam extollat, & secum illo piorum mentes subducatur, indeque principia diuinæ laudis ordiatur. Deinde, descendens ad opera illa, quibus sese virtus Dei expressit, & cognitioni mortalium ingressit, primum creationis, deinde gubernationis virtutem contempletur, contemplandamque & laudandam proponat. Creationis, in firmamento cæli, tanquam opere primario: gubernationis, in potentibus ac heroicis illius factis, cum de bonitate, tum de potentia eius testantibus. Ergo & inuisibilia Dei, non solum visibilia, homini pio argumentum diuinæ laudis subministrant. Illi omnium sunt insensatissimi ac stupidissimi, qui ne manifestis quidem & expressis diuinæ potentiae ac bonitatis operibus ad laudandum Dominum permouentur. **OBSER. Verf. 1. & 2.**

**In firmamento, inquit, roboris eius.]** Obserua. Robur illud quod habet cæli expansum, quo hactenus immotè substitit, **robur Dei** vocatur. Nihil hinc naturæ, sed totum virtuti opificis, opera sua continentis tribuitur.

**Laudate eum in virtutibus eius.]** Considera rationem, quare facta virtutis Dei גבורות: id est, virtutes vocentur. Ob id sic loquitur Spiritus sanctus, vt doceat nos ex factis Dei, facientis & operantis cognoscere, admirari & celebrare virtutem. Sic facta sapientiæ, sapientiam: bonitatis, bonitatem: patientiæ, patientiam: clementiæ, clementiam vocemus.

**Laudate eum secundum amplitudinem magnitudinis eius.]** Dicet hic quisquam: Quomodo potest hoc fieri, vt Dominum secundum magnitudinis eius amplitudinem, quæ prorsus est infinita, pro dignitate laudemus? **Respondeo:** Sciebat hoc & Propheta. Verùm non tam quid laudando Deum præstare possimus, quàm quid magnitudo Dei mereatur, proponere ad hoc voluit, vt nullum nobis ipsi laudandi